

EXPLICATIO FABRICAE ET VSVS.

remitto. Inveniet etiam ibidem paulò post Distantias Novæ stellæ à vicinioribus Cassiopeæ ac quibusdam aliis, tùm quoq; fixarum inter se exactissimè eodem Instrumento mensuratas, atque in usum deductas. Nullum enim aliud huic officio accomòdum tunc ad manus habebam: utpotè nuper è peregrinatione Germanica domum reversus, & Pyronomicis potius exercitiis quàm Astronomicis tunc occupatus.

Licet verò hoc Instrumentum non adeò Excellens sit, atque ea, quæ postmodum successivis aliquotannis excogitavi, & magno labore atq; sumptu confieri feci, ideoq; postea à me antiquatum: tamen illud qualecunque sit, cum & usui non incommodum existat, hinc unà cum cæteris delineandum exponendumq; duxi, quò & eorum ratiõnem haberem, quibus operosa illa & sumptuosa adeò Instrumenta, construendi non suppetit facultas.

Illi atque hoc contenti rectius & præcisius, quàm ante hæc per Radium Astronomicum factum est, stellarum scrutabuntur intercapedines: modo Parallaxin de qua dixi, ritè & expedite præcaveant.

